

tatibus Candidatorum conferentes, sequitur necessario, Sempronium non interfuisse, atque adeo fuisse negligentem: à fortiori, si Sempronius eo tempore cum alijs alia impertinentia negotia tractasse visus fuisset. *Arg. §. si verò absunt. Authen. de hered. & falsid.* potuissetque, uti debuisset, si voluisset. *Leg. de unoquoque. 4.7. §. fin. ff. de rei iudic.*

24. Egit Simia, uti debuit, & potuit; Agant & ira Electores in disquirendis Candidatorum qualitatibus, meminerintque, sese non suffragij Dominos, sed administratores, ac obligatos ex officio, contractu, vel quasi contractu esse. Si autem administratores bonorum, ac Jurium communium negligentes tenentur de dolo, de lata culpa & negligentia, imò etiam de levi, si ex contractu vel quasi contractu administrent. *Leg. contractus. 23. ff. de Reg. Jur. Leg. in rebus. 18. §. hæc ita ff. commodati.* quidni, & à fortiori condemnemus Electorem negligentem in disquirendis Candidati qualitatibus pro suffragio suo ferendo, quod à Republica conceditur unice ad publicam utilitatem?

25. Meminerint Electores, sese non Dominos, sed custodes suffragiorum, seu pretiosissimarum gemmarum esse, quas Jupiter Paridi non nisi pulcherrimam dandas concedidit. Si autem custodes post conductam mercedem, ex quasi contractu obligati, tenentur de dolo, culpa lata, & levi. *Leg. si ut certo. 5. §. nunc videndum. 2. ff. commodati. leg. contractus. 23. ff. de Reg. Jur.* imò etiam de levissima, saltem in foro fori, si expressè vel tacitè promittant custodiam diligentissimam. *Arg. Leg. qui mercedem. 40. leg. si merces. 25. §. 7. ff. locati.* Quidni, & à fortiori arguemus Electorem negligentem, si nullò adhibito pulchritudinis studio pretiosissimam gemmam, suffragium intelligo, projiciat ante quemvis proci, vel quandoque etiam porcum?

26. Meminerint Electores, sese in Comitijis Judices, vel quasi Judices Competitorum & Candidatorum esse constitutos, ut Lydio lapide probent merita, & demerita, vitia & virtutes eorumdem, per suffragium, quasi per sententiam dando, & adscribendo unicuique, quod suum est. Si autem Judex tenetur de dolo, culpa lata, & levi. *Leg. si ut certo. 5. §. nunc videndum. 2. ff. commodati. leg. dolum est. 44. ff. cod. cap. iudicantem. 11. caus. 30. quæst. 5.* Quidni arguemus Electorem negligentem, si præposterò ordine divitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore & sanctiore? *S. Ambrosii in Jacob. 1. Ep.* Si excellentiorem iubeat sedere sub scabello, truncos autem collocet cum principibus? cum clara iustitia sit, ut qui excellent ratione, excellent dominatione. *S. August. in lib. sent.* Si nulla meri-

ta, si nullas qualitates, dum potest, velit rimari, inquirere, distinguere? Justitia, utut cateroquin cæca, in hoc genere sit Argò oculator, & pro inventiendo ac distinguendo homine etiam Diogenis lucernam adhibeat in meridie. Nam non quærendo Candidatum benè qualificatum, probat indignum; cum parja sint facere non faciendum, & non facere faciendum, ubi ex officio teneris. *Leg. si quos iudices. 3. Cod. de off. Præf. Præf. Orient.*

Meminerint Electores, sese post demortuum Principem vel Prælatum physicè vel civiliter ad instar Æsculapii, in faciem Reipublicæ debere inspirare novæ vitæ spiraculum, agerèque partes Medici ad curam, ne Reipublica capite laboret. Si autem Medicus tenetur de culpa, & negligentia reus agitur ac imperitiæ, quando ex officio, aut quasi contractu sese peritum & diligentem profectur. *Leg. Imperitiæ. 132. ff. de Reg. Jur. leg. idem juris. 8. ff. ad leg. Aquil.* Quidni arguemus Electorem negligentem, si nullam factam reflexione, nullam distinctione, nullam inquisitione cordi morienti dederit caput languidum? Si nullam habuit considerationem, dum Elector visceribus Reipublicæ deberet & posset innovare spiritum rectum, *Psalm. 50.* intelligo prudentem & optimum Principem seu Prælatum, potius eligat spiritum contradictionis, unde vitales corporis mystici motus turbentur magis, quam conserventur. Si nullò respectu, dum corpus politicum deberet & posset sortiri animam bonam, vitiò Electoris in id intrat anima malevola ad confusionem spirituum vitalium chronicam, si, inquam, corpori Reipublicæ imponatur caput turbidum, stultum &c.

Meminerint Electores, sese in Comitijis esse Reipublicæ Procuratores, vel quasi tales, & non suffragiorum Dominos. *Cap. Fraternalitatem. 2. de Donat.* ut negotium Electionis, mandato expressè vel tacitè sibi factò, agant & administrent. *Leg. procuratorem. 1. ff. de procurat.* cum obligatione in tali negotio, seu alienò, tantam adhibendi diligentiam, quantam in negotio proprio, imò maiorem, cum culpa, quæ in re propria toleratur, in aliena damnetur. *Leg. si constante. 24. §. si maritus. 5. ff. solut. matrim.*

Si autem procurator tenetur non solum ex culpa lata, sed etiam levi & levissima, si pacta mercede negotium gerit. per text. in *Leg. procuratorem. 11. leg. à procuratore. 13. leg. in re mandata. 21. & ibi Gloss. Cod. mandati.* Quidni arguemus Electorem negligentem, si in Electione, utpote negotio tam ponderoso, tantique momenti, nihil vel parum circa qualitates Candidatorum inquirat, & officium Electoris adeò nobile, sibi à Republica commissum, & quidem